



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. I. Prima sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

S E C T I O VIII.

Dubium Theologicum, quandoam omissio imputetur ad culpam?

§. I.

Prima sententia.

S U M M A R I U M.

Occasio dubij, & status questionis, n. 314.

Prima sententia ait, omissionem imputari ad culpam, quando instat praeceptum, n. 315.

Rationes, n. 316. 317.

Rejicitur, quia implicat peccatum externum sine interno, n. 318.

Omne praeceptum affirmativum duo dicit, unum directe, aliud indirecte, n. 319.

gentia ejus est, quod non reflectat ad actionis suae malitiam; ignorantia autem, quae est ex negligentia, est indirecte voluntaria, & ad culpam imputatur. Similiter l.c.n. 3. postquam explicuit axioma, Nihil volitum, quin praecognitum, nempe nihil volitum directe, quin praecognitum, verum est; nihil volitum indirecte; falsum, si debeat esse praecognitum actu, satis enim est, ut sit praecognitum potentia; subdit: Sufficit igitur, quod possit aliquid cognosci, ut censetur indirecte volitum, ad volitionem scilicet ejus, quocumque indivisibiliter conjunctum est. Et si hoc sit Adversarij velle, & cognoscere virtualiter, & interpretative, nihilque aliud requirant ad peccandum formaliter, nobiscum, & (uti reor) cum Ecclesia Catholica loquuntur. Haec Elbecque. Ecce vult ad peccatum satis esse voluntarium indirectum; & quoad hoc verum dicit, non tamen quoad hoc, quod voluntarium indirectum non praerequirat cognitionem indirectam, seu in causa; ut enim directe volitum debet esse directe praecognitum, ita indirecte volitum debet esse indirecte praecognitum; immo sicut omne indirecte volitum supponit aliud directe volitum, in quo illud, quod dicitur indirecte volitum, sit volitum; ita à pari omne indirecte praecognitum praesupponit aliud, quod est directe cognitum, & in quo illud, quod dicitur indirecte praecognitum, sit cognitum. In casu nostro opera sequentia ad ignorantiam vincibilem cognoscuntur ut mala in dicta ignorantia; ipsa autem ignorantia cognoscitur ut mala in negligentia, & alijs causis ejusdem ignorantiae: ergo sicut opera sunt libera indirecte in ignorantia, & causis ignorantiae directe volitis, ita cognoscuntur indirecte in eadem ignorantia, & hujus causis directe cognitae ut malis.

Probat 7. quia sequitur (ait pag. 287. §. 7. n. 1.) quod qui Deum ignorat, aut de Deo actu non cogitat, quantumvis grave peccatum committat, non peccabit, nisi forte philosophice, quae est opinio damnata ab Alexandro VIII. Sed contra; quia cum per me, & ferè omnes invincibilis ignorantia Dei repugnet, eo ipso omnis talis ignorantia erit vincibilis, vel in se, vel in sui causa; ergo semper habebit aliquam Dei cognitionem, vel directe, vel indirecte in causa dictae ignorantiae, & in ipsa ignorantia. Omitto alia absurda, quae sunt ad evidentiam soluta.

Occasione peccati ad ignorantiam vincibilem sequentis, seu peccati in causa sua tantum voluntarij, oritur dubium, quandoam imputetur ad culpam peccatum sequens ad vincibilem ignorantiam, seu peccatum in sua tantum causa voluntarium? Hoc autem tam quæri potest de peccato omissionis, ex. gr. quandoam omissio sacri imputetur ad culpam illi, qui se somno tradit, ob quem praevidet omittendum sacram; quam de peccato commissionis, ex. gr. quandoam homicidium imputetur ad culpam ei, qui se inebriat, & ad ebrietatem secutura homicidium, aut pollutionem praevidet. Porro, ut distinctè procedam, afferam quid alij Theologi inter se pugnantes sentiant; deinde meam mentem explicabo; puto enim plurimum miseri de nomine, & parum de re; & conscientiae perinde esse quacumque sententiam. Quia autem praeter alijs hoc egregiè tractat M. Godoy tom. 1. in l. 2. d. 24. pleraque ex eo sumam, neque enim pudet me tam praecleari Magistri discipulum esse, cum ejus doctrina quantum trahit ad se intellectum meum, tantumdem ejus modestia meam captivat voluntatem.

Prima sententia ait, tunc tantum omissionem imputari ad culpam, quando instat praeceptum omittendi actum externum. Ita Marfil. in 2. qu. 21. art. 2. conclus. 4. Altisiodor. lib. 2. tr. 29. cap. 1. & solet etiam tribui S. Thom. 2. 2. qu. 79. art. 3. ad 3.

Probat primo ex S. Thom. 1. 2. qu. 71. art. 3. ad 3. Dicendum, quod peccatum omissionis contrariatur praecepto affirmativo, quod obligat semper, sed non ad semper, & ideo solum pro tempore illo aliquis cessando ab actu peccat, pro quo praeceptum affirmativum obligat: ergo cum praeceptum affirmativum audiendi sacrum non obliget ante horam duodecimam, quā

N.

314.

M. God.

N.

315.

Marfil.

Altisiod.

S.

Thom.

316.

S. Tho.

quis se somno tradit, ante illam horam illud non violatur: ergo dans causam omittendi non peccat ante eam horam.

N. 317. Secundò, quia præceptum non violatur, nisi pro tempore, pro quo obligat: sed præceptum audiendi sacrum non obligat pro semper, sed tantum pro horâ duodecimâ; ergo tunc tantum violatur; ergo ponens causam omissionis ante dictam horam non peccat.

N. 318. Verum hæc sententia nullatenus sustineri potest; 1. quia implicat peccatū externū sine peccato interiori: sed si qui dat causam omissionis sacri, non peccaret, nisi quando instat tempus audiendi sacrum, nempe horâ duodecimâ, sequeretur, quod daretur peccatum exterius sine ullo peccato interiori, nam horâ duodecimâ, supponitur, quod omittens dormiat, implicat autem, ut dormiens peccet formaliter; ergo implicat, ut tunc tantum peccet omittendo sacrum, quando est horâ duodecimâ; ergo peccavit prius, dum se somno dedit, prævidens ab eo secuturam omissionem sacri, quæ omissio incepit esse peccatum in somno, tamquam in causâ liberâ. Secundò, quia sicut volitio, siue expressa, siue interpretativa, occidendi (idem dico de alijs præceptis) est peccatum, etsi non sequeretur homicidium; ita volitio, siue expressa, siue interpretativa, omittendi sacrum, est peccatum, etsi ad eam non sequeretur omisio sacri: ergo falsum est, tunc tantum omissionem imputari ad culpam, quando instat præceptum, & actus omittitur; cum certum sit prius saltem contrahi peccatum, dum volo, siue expressè, siue interpretativè, (ut accidit in nostro casu) omissionem sacri, in ipso somno tamquam in causâ impeditivâ sacri.

N. 319. Rationes oppositæ non urgent. Non prima; quia S. Thom. vult tantum, quod præceptum affirmativum sacri non violetur per omissionem, nisi cum instat præceptum; non autem vult, non violari illud idem per positionem causæ usque ad illud tempus; nam omne præceptum affirmativum duo importat, quorum unum præcipit directè, nempe talem actum Fidei, Spei, Religionis &c. aliud præcipit indirectè, seu potius vetat, nempe, ne ponatur causâ impeditiva actus præcepti pro tempore præcepto. Hinc patet ad secundam rationem; qui enim somno se tradit, violat præceptum sacri, quatenus vetat somnum impeditivum sacri, adeoque dum somno se tradit, violat præceptum illud affirmativum, quâ parte est negativum, & ideo, etsi quis expergefactus ante duodecimam retractaret suam voluntatem, & postea

sacrum audiret, adhuc teneretur in confessione aperire, se habuisse volitionem omittendi sacrum; peccavit igitur, dum voluit omittere, & non tantum, dum omisit.

§. II.

Secunda, & vera sententia.

SUMMARIUM.

Vult tunc tantum peccari, cum ponitur causa omissionis, non cum ponitur omisio, quæ est tantum effectus peccati, DD. n. 320.

Arist. ait, per vite dimidium felicem à misero non differre, n. 321.

Ut somnus est tantum denominativè liber, ita omisio sequens ad illum, n. 322.

Responsio M. Godoy, n. 323.

Impugnatur, n. 324.

Non repugnat, ut aliquid sit effectus, & recipiat denominationem a sua causâ, n. 325.

Sicut voluntarium aliud in se, aliud in causâ, ita liberum, n. 326.

Omne liberum in se est à se liberum, omne liberum in causâ est à sui causâ liberum, n. 327.

Tot a differentia erit de voce, n. 328.

Confirmatio doctrina, n. 329.

Ab absurda ex sententiâ citandâ, quia implicat, ut duo aequali malitiâ idem volentes, unus magis peccet, quam alter, & quia homo dormiens rite absolvetur, n. 330. 331.

Licet ad meritum plus requiratur, quam ad demeritum, eadem tamen libertas, n. 332.

Responsio M. Godoy, n. 333.

An videns se reddi impotentem ad jejunium, contractâ infirmitatē toties peccet, quoties non jejunat, n. 334.

Quid dicat M. Godoy, n. 335.

Eadem in re utilitas, siue hanc, siue citandam sequamur sententiam, n. 336.

Secunda sententia ex toto opposita primæ N. 320. ait, tunc tantum peccari, quando ponitur causa voluntaria omissionis, non autem quando sequitur pro suo tempore omisio, ita ut omisio sit tantum effectus peccati, non peccatum. Ita P. Valq. 1.2. d. 34. cap. 3. P. Gran. tr. 4. de Peccat. d. 3. n. 7. & alij.

Pluribus hæc sententia probatur: primò, N. 321. quia S. Thom. 2.2. qu. 154. art. 5. in corp. ait: *Nocturna pollutio numquam est peccatum, sed quandoque sequela peccati precedentis*: idem docet in 4. dist. 9. qu. 1. art. 4. ergo etiam omisio actus debiti contingentis in somno numquam erit peccatum, licet aliquando sit sequela peccati antecedentis. Accedit Arist. lib. 1. Eth. cap. 2. & 3. dicens, quod secundum dimidium vite, seu somnum, non differat felix à misero,